

est autem, additionem illam receptam fuisse in Hispania et Gallia, antequam Romæ a Summo Pontifice reciperetur. Extat enim in Vaticana Bibliotheca post epistolas Pontificum a Cresconio collectas, collatio habita inter Leonem III, Pontificem et Legatos Caroli Magni, in qua Legati illi referunt, in Gallis cantari Symbolum cum particula *Filioque*, et a Pontifice petunt, ut ipse id approbet, et Romæ eodem modo cantari jubeat. Congruunt vero hoc totum cum Adonis Chronico et annalibus Francorum ab Anno 809, celebratum Concilium Aquisgrani de processione Spiritus sancti, et inde missam legationem ad Leonem Pontificem.

Quod autem quidam dicunt, additam hanc particulam fuisse in Concilio Romano a Damaso Papa illo ipso tempore, quo celebratum est Concilium I. Constantinopolitanum: quæ dæ Concilia unum Concilium generale efficiunt: non video quemadmodum recte defendi possit. Exstat quidem inter opera sancti Hieronymi Symbolum quoddam sub nomine Damasi, in quo hæc particula habetur. Sed non quærimus, quis in suo Symbolo posuerit, Spiritum sanctum ex Filio procedere, sed quis id addiderit Symbolo Constantinopolitano: non fuisse autem Damasum, his argumentis probamus. Nam si ita esset; cur nulla hujus rei mentio inveniretur, vel in primo tomo Conciliorum, vel lib. IX, cap. 46. hist. tripartitæ? Quomodo Theodoretus, vir plane doctissimus, et qui in historia sua inseruit epistolas Concilii Constantinopolitani ad Damasum, et Damasi ad Concilium, additionem istam ignorasset? Ignorasse enim eum ejusmodi additionem ex eo colligitur, quod tam audacter scripsit, Spiritum sanctum ex Filio non procedere.

Cur item Leo Papa III, Symbolum Constantinopolitanum, ut refert Petrus Lombardus lib. I. Sent. dist. 41. in argentea tabula sine illa additione scribi jussit? Ignoravit fortasse Leo acta prædecessoris? an voluit contrarium potius definire? Cur ab eodem petunt Legati Caroli Magni, ut Symbolum eum ea particula recipiat? Cur Concilium Toletanum III. sine illa additione Symbolum recitavit, si tanto antea in Symbolo locum suum illa additio obtinuerat? Cur denique Græci non ante annum 600. questionem moverunt? et quo colore dicere ausi sunt, Lati-

nos peccasse contra canones Concilii III, illius particulae adjectione, si ea in Concilio II, addita fuerat? Maneat igitur quod supra diximus, post annum Domini 600. additionem illam esse factam.

CAPUT XXII.

Ex Scripturis ostenditur, Spiritum a Filio procedere.

Jam igitur, quod Spiritus sanctus a Filio procedat, primum ex Scripturis demonstrandum est. Ait Dominus Jo. XVI. *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Et Jo. XVII. *Omnia tua mea sunt* (1). Ex quibus verbis ita concludi potest argumentum. Quidquid Pater habet, habet etiam et Filius, excepta solum relatione paternitatis, ut Augustinus exponit: sed Pater habet esse principium Spiritus sancti; ergo et Filius id ipsum habet. Unde Augustinus lib. V Trin. cap. 14: « Filius, inquit, est hoc omnino quod Pater, non tamen Pater, quia iste Filius, ille Pater. » Ubi Augustinus secutus verba Domini docet, Filium esse omnino idem cum Patre, excepta relatione paternitatis; ex quo manifeste sequitur, esse etiam Filium spiratorem Spiritus sancti: nam hoc non est esse Patrem, et tamen habet hoc Pater, ut sit spirator.

Deinde si Pater, et Filius non haberent omnia communia, excepta relatione opposita, distinguerentur plus quam relatione, et proinde distinguerentur substantia: nam Pater ut spirator non est relativum ad Filium; ergo si ut spirator distinguitur a Filio, distinguitur per spirationem, non ut relatio est, sed ut est forma quædam in Patre subsistens; proinde Pater et Filius in substantia differunt, quæ est hæresis Ariana.

Secundo probatur ex illis verbis ejusdem capituli: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (2). Quid, quæso, accipiet a Filio Spiritus nisi scientiam? nam paulo ante dixit, non a seipso loquetur, sed quæcumque audiet loquetur, et de scientia exponunt Chrysost. Cyrill. et August. necnon etiam Theophylactus, et Eutyminus. Quomodo autem potest Spiritus accipere a Filio scien-

tiam, nisi accipiendo ab illo essentiam? quidquid enim aliud dicatur, fiet Spiritus sanctus creatura.

Insinuant duas solutiones Theophylactus, et Eutyminus. Primum dicunt, Spiritum accipere de scientia Filii, quia nihil docet contrarium iis quæ docuit Filius. Deinde addunt, illud de meo significare de meo thesauro, qui est Pater: ac si Filius diceret: *Inde Spiritus accipiet, unde ego accepi.*

At certe prima solutio non quadrat: nam non solum Christus dicit *accipiet de meo*, sed etiam dicit *non loquetur a semetipso*; ubi aperte indicat, scientiam Spiritus sancti non esse illi a seipso, sed a Patre et Filio. Secunda solutio etiam non quadrat: nam thesaurus scientiæ in Deo non est persona Patris præcise ut persona, sed essentia divina, quæ est communis Patri et Filio: nam et thesaurus, et scientia perfectionem absolutam significant, quæ sine dubio ipsa essentia est. Quocirca B. Paulus de Filio dicit Coloss. II. *Christi Jese in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (1); Spiritus ergo accipiens de hoc thesauro, accipit necessario de re communi Patri et Filio: et proinde non magis ab uno accipit, quam ab alio; unde Didymus lib. II. et Cyrillus in hunc locum fatentur, hinc deduci Spiritum a Filio esse.

Sed petes: cur dixit *de meo*, et non potius *meam essentiam*, seu *sapientiam accipiet*? et cur ait in futuro *accipiet*, et non potius in præterito *accepi*? Respondeo: dixit *de meo*, quia procedens de Filio Spiritus sanctus, non totum id quod est in Filio accipit; non enim filiationem accipit, sed essentiam, ex qua et filiatione constituitur Filius secundum modum nostrum concipiendi. Et hæc indicavit ipse Dominus cum ait: *Omnia quæ habet Pater mea sunt, ideo dixi, quia de meo accipiet*, id est, accipiet id quod est commune mihi et Patri, non autem propria utriusque. Cur autem dixerit in futuro, ratio est, quia acceptio illa æterna est, et continet in se virtute omnia tempora, et ad omnia tempora accommodari potest; unde Sanctus Augustinus exponens hunc locum sic ait: « Erit, fuit, est. Erit, quia nunquam deerit; fuit, quia nunquam defuit; est, quia semper est. » Itaque cum omnia tempora in æternitate continantur, et omnes propositiones de rebus æternis veræ sint, quocumque tempore

exprimantur, Scriptura varia tempora exprimit, prout res de qua agitur postulat: hoc autem loco describitur Spiritus sanctus tamquam Legatus a Patre et Filio mittendus ad Apostolos: Legati autem tunc solent instrui, quando mittuntur; ideo dicit *quæcumque audiet, et de meo accipiet.*

Tertio probatur ex eodem textu, ubi legimus: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et cap. XV. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre* (2). Omnis missio aut est per imperium, quomodo mittuntur servi a dominis, aut per consilium, quomodo mitti dicuntur qui instruuntur a sapientioribus, ut eum mittuntur ægroto a medico ad capiendam medicinam, aut per naturalem productionem, quomodo arbores mittere dicuntur radices, emittere flores etc. Certum autem est, Spiritum sanctum non posse mitti ut servum, vel ignorantem a potentiore vel sapientiore: constat enim inter nos et Græcos, Spiritum sanctum esse Deum; ergo missio ejus erit intelligenda secundum productionem. Et hoc idem confirmatur ex Augustino lib. IV. Trinit. cap. 49, 20, et seq., qui dicit, Filium mitti, esse Filium nasci, Spiritum sanctum mitti, esse Spiritum sanctum procedere.

Respondent Græci: missionem Spiritus sancti per Filium, vel a Filio non significare processionem, quoad internam subsistentiam, sed missionem externam ad creaturam per donorum largitionem: et quoniam etiam Filius donat hominibus gratiam, Fidem, spem, charitatem, ideo dicitur dare, seu mittere Spiritum sanctum, quia nimirum dat dona, quæ dicuntur Spiritus sancti.

At certe quando dicitur dari seu mitti Spiritus sanctus, non solum dantur dona creata, sed cum donis illis datur etiam vero, et mittitur Spiritus sanctus: et contrarium asserere est manifestus error. Nam Rom. V. dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (3). Ubi videt aperte distingui Spiritum sanctum et dona ejus, et utrumque dari. Item I. Corinth. VI. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo.* Et infra: *Portate Deum in corpore vestro* (4). At certe dona Spiritus sancti non sunt Deus, neque illis debetur templum. Et I. Jo. IV. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et*

(1) Joan. XVI, 15; Ibid. XVII, 10. — (2) Joan.

XVI, 14.

(1) Coloss. II, 3. — (2) Joan. XVI, 7 et 13. — (3) Rom. V, 5. — (4) I. Cor. VI, 19 et 20.

Deus in eo; ergo non sola charitas in nobis manet, quæ non est Deus, sed manet vere ipse Deus. Denique quæ dicuntur Jo. XVI. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, et si abiero, mittam eum ad vos.* Et Joann. XIV. *Alium Paracletum dabit vobis etc.* (1) non nisi absurdissime exponuntur de donis: dona enim nec veniunt, nec mittuntur, nec possunt conferri cum Christo, ut unus Paracletus cum alio.

Accedat auctoritas Patrum, Ambrosii I. I. de Spir. S. cap. 4. et 5 Augustini lib. XV. Trin. cap. 26. Chrysostomi in cap. V. ad Rom. Cyrilli in cap. XVI. Joann. qui omnes ipsam Deum Spiritum sanctum a Filio mitti docent.

Accedat postremo manifestissima ratio: nam si ideo diceretur mitti Spiritus a Filio, quia Filius est auctor donorum, posset etiam dici mitti Pater a Filio, imo et Pater et Filius a Spiritu sancto, quia quælibet persona est auctor omnium donorum. Item si mitti Spiritum a Filio esset multi dona ejus, etiam cum legimus Filium a Patre missum in Mundum, possent qui id non credunt respondere, non esse missum vere Filium, sed ali-quod donum creatum, et sic evacuaretur mysterium Incarnationis.

Fortasse dicent: venire quidem ad nos ipsum Spiritum sanctum, sed dici mitti a Filio, quia ille fuit causa suis meritis, ut ad nos veniret Spiritus sanctus. Sed hoc modo posset etiam dici, mitti Patrem a Filio: nam suis meritis fuit etiam causa, ut ad nos Pater veniret, juxta illud Joan. XIV. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus* (2). Pari ratione si dicant, a Filio mitti Spiritum sanctum, quia Filius consentit ut veniat: eodem modo dicam, Patrem a Filio et Spiritu sancto mitti.

Nec obstat quod Isai. XLVIII et XLI dicitur Filius a Spiritu mitti, a quo tamen non procedit. Nam Filius mittitur a Spiritu, quatenus homo est, secundum quam formam vere Filius a Spiritu sancto est, ut a causa activa. Id patet Luc. IV. *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me* (3). Secundum eam formam igitur Spiritus misit Filium, secundum quam est super eum, et illum unxit. Quæ cum ita

sint, aut oportet ex Evangelio delere illa verba Christi de Spiritu sancto *ego mittam eum*, aut certe concedendum est, Spiritum sanctum a Filio procedere per internam atque æternam hypostasis ejus productionem.

Cur autem dicat Filius *mittam* in futuro, cum tamen processio sit æterna, facile potest explicari: nam missio duplicem relationem importat, unam ad eum qui mittit, alteram ad eum ad quem mittit. Quantum ad primam relationem, missio est æterna, et de omni tempore verificari potest, at quantum ad secundam, est temporalis. Mittitur enim Spiritus sanctus ad homines, quando incipit in eis esse novo modo, id est, per cognitionem et amorem, id est, quando incipit cognosci, et amari per infusa ab ipso dona. Quoniam ergo ista missio quoad terminum ad quem futura erat, quoad terminum a quo semper fuit, est, et erit: ideo dictum est *mittam*, sic enim est vera propositio quoad totam rationem missionis.

Quarto probatur ex illo Joa. XX. *Insuperavit et dixit: accipite Spiritum sanctum* (4). Hæc enim cæremonia, ut exponunt August. lib. III, in Maxim. cap. 41. et Cyrillus lib. XII. in Jo. cap. 56. significare voluit Christus, a se procedere Spiritum sanctum. Theophylactus quidem scribens in cap. III. Jo. ridet hoc argumentum, sed quam bene, ipse viderit: nam nullam ipse ejus cæremonie causam reddere potest. Et præterea, ipso doctiores, sanctiores, et antiquiores sunt Cyrillus, et Augustinus, qui hoc argumento utuntur. Nec dubito, quin ridendus sit ipse, non modo a Latinis, si Augustinum ridere voluerit, sed etiam a Græcis, si Cyrillum.

Quinto probatur ex illo Rom. VIII. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et Galat. IV. *Quoniam estis Filii Dei, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater* (5). Cur enim dicitur Spiritus sanctus Spiritus Filii? certe non quia est servus ejus, vel quia est frater ejus, sed quia spiratur ab eo, quomodo etiam dicitur Spiritus Patris. Rom. VIII. *Si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum, etc.* Et Mat. X. *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (6).

Dicent fortasse: vocari Spiritum sanctum

spiritum Filii, quia simul cum illo a Patre procedit, vel quia est similis illi, aut alia de causa, non autem quia spiratur a Filio. At si ita est, cur non posset eadem ratione dici Christus filius, aut verbum Spiritus sancti; quod tamen nusquam legimus. Nec potest responderi, Filium habere relationem ad Patrem, et verbum ad dicentem: nam etiam Spiritus habet relationem ad spirantem. Sicut ergo Spiritus sanctus, licet a Filio non spiretur, potest dici spiritus Filii, quia est illi similis in essentia, et cum eo simul a Patre procedit: ita quoque Filius, licet a Spiritu sancto non generetur, poterit dici Filius Spiritus sancti, quia est illi similis in essentia, et cum eo simul a Patre procedit. Atque hoc argumentum tanti fecit S. Augustinus, ut tract. 99. in Jo. hoc solo argumento contentus fuerit ad probandum, Spiritum sanctum a Filio procedere.

CAPUT XXIII.

Idem probatur testimoniis Conciliorum.

Non possum equidem satis mirari, quæ fronte Hieremias, qui se Patriarcham Oecumenicum appellat, nuper in censura sua ad confessionem Lutheranorum scribere ausus sit, a Nicæna Synodo et omnibus aliis consequentibus generalibus Conciliis definitum esse, Spiritum sanctum ex solo Patre procedere. Sic enim ipse loquitur in ipso I. cap. Censuræ: « Nicæna Synodus, et reliquæ cum ea consentientes, omnes decreverunt; Spiritum sanctum ex ipso solo Patre procedere. » Hæc ille. Quod si mendacium non est, non video quid unquam mendacium appellari poterit.

Ac ne forte suspicemur, reconditum aliquem canonem esse, in quo ejusmodi decretum habeatur, subjungit idem Hieremias: « Quod quidem sacra illa et incorrupta Fidei Christianæ confessio, sacrum, inquam, Symbolum, hoc ita esse disertissimis verbis explicat; Spiritum scilicet sanctum ex solo Patre procedere: quam quidem sententiam a trecentis decem et octo plenis Deo Patribus, in Nicæna primum Synodo, deinde in Constantinopolitana a 150 confirmata; reliquæ item universales quinque Synodi, ni-

hil addentes, nihil detrahentes, verum in idem plane uno Spiritu sancto conspirantes obsignarunt. » Hæc ille.

Consulamus ergo Symbolum Nicænum, ac videamus, an disertissimis verbis doceat, Spiritum sanctum ex solo Patre procedere. Integrum Symbolum Nicænum recitant ex Græcis Cyrillus lib. I. de Trin. et in lib. de explicat. Symb.; ex Latinis Rufinus lib. X. hist. cap. 6. nihil autem aliud in eo Symbolo legitur de Spiritu sancto quam hæc sententia, *καὶ ἐκ τοῦ ἁγίου πατρὸς: et in Spiritum sanctum.* Testatur autem Nazianzenus in ep. 2. ad Celidonium, Nicænam Synodum non tradidisse perfectam doctrinam de Spiritu sancto, propterea quod nondum exorta erat quæstio de Spiritu sancto. Viderit ergo Hieremias, in quo Symbolo Nicæno legitur, Spiritum sanctum ex solo Patre procedere.

Porro Concilium Constantinopolitanum Symbolo addidit illa verba *Qui ex Patre procedit*: sed non ait disertissimis verbis, ut Hieremias loquitur, qui ex solo Patre procedit: illa enim particula *solo* adjectio est Hieremias, non Concilii proprium verbum. Cur autem Concilium non adjecerit *ex Filio*, sed satis esse consuevit dicere, qui ex Patre procedit, ratio est certissima, quia eo tempore dubium non erat, an Spiritus ex Filio procederet; id enim heretici concedebant, ut constat ex Basilio lib. II in Eunom. sed dubium erat de Patre, a quo alienum omnino Spiritum sanctum, tanquam solius Filii creaturam heretici esse dicebant. Concilium igitur ut remedium morbo adferret, id posuit in Symbolo, quod necesse erat.

His ergo omissis, proferamus nos Concilia, quæ Spiritum sanctum a Filio procedere testantur. Primum Alexandriæ Concilium celebratum est, ex quo Concilio scribit Cyrillus epistolam ad Nestorium, in qua hæc sunt verba: « Spiritus appellatus est veritatis; et veritas Christus est, unde et ab isto similiter, sicut ex Patre procedit. » Habetur hæc epist. in Concilio Ephesino cap. 14. et est approbata, tam ab ipso Concilio Ephesino, quam a IV Synodo, act. V. et a V Synodo act. ult. et a VII Synodo act. XVII, et a VII Synodo act. VII.

Habemus igitur quinque generalia Concilia apud Græcos celebrata, quæ sententiam illam recipiunt apertissimam et clarissimam, Spiritus sanctus a Filio, sicut a Patre procedit: quid igitur jam querunt? quid postu-

(1) I. Joan. IV, 16; Joan. XVI, 7; Ibid. XIV, 16. — (2) Joan. XIV, 23. — (3) Luc. IV, 18. — (4) Joan. XX, 22. — (5) Rom. VIII, 9; Galat. IV, 6. — (6) Rom. VIII, 11, Matth. X, 20.

lant? Quid, quod rursus in Concilio VII. generali act. VII. Symbolum legitur cum hac additione *Filioque*; tamen illud Concilium maxima ex parte Græcorum fuit?

Græci quidem in Concilio Florentino sess. V et VII dicebant, in suis codicibus non ita haberi, tamen Latini profulerunt exemplum antiquissimum, et ubi nullum erat vestigium corruptionis, et præterea citaverunt historicum antiquum testem hujus rei: et certum est, nunquam fuisse morem Latinorum corrumpendi libros, sed Græcorum.

Sed objicies: si in hoc Concilio fuisset receptum Symbolum cum particula *Filioque*; quomodo S. Joannes Damascenus, qui tempore hujus Concilii vixit, tam aperte negasset Spiritum a Filio procedere lib. I, de Fide, cap. 41. Respondeo: probabile esse, Damascenum obiisse ante Concilium VII, nam florebat maxime tempore Leonis III, ut patet ex 2. Orat. de cult. imag. et Synodus celebrata est annis 48 post mortem Leonis. Unde ipse in suis operibus non citat Concilia, nisi usque ad sextum. Deinde etiamsi ad tempus VII. Synodi fortasse pervenerit; tamen sine dubio libros illos de Fide antea scripsit, ut aperta colligitur ex act. VI. Concilii Nicæni II.

Jam vero præter Concilia ista Græca, existant etiam permulta celebrata apud Latinos. Ac primum apud Barum Concilium est celebratum a Græcis simul et Latinis tempore Urbani II, paulo post inchoatum schisma circa annum 1090, in quo Anselmus evidenter rationibus Græcos convicit. Meminit hujus Concilii ipse Anselmus lib. de process. Spir. S. cap. 4. et fusiuse rem totam narrat auctor vite Anselmi lib. II, qui in eodem Concilio interfuit.

Secundum est Concilium Lateranense sub Innocent. III, anno 1215, ubi etiam in I. cap. definitum est, Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere, et in Concilio interfuerunt Græci, et consenserunt, ut patet ex cap. 4. ejusdem Concilii.

Tertium Concilium est Lugdunense sub Gregorio X, anno 1273, ubi Græci interfuerunt, et omnibus consentientibus, cantatum est Symbolum cum additione *Filioque* ter Græce, ter Latine. Exstat definitio hujus Concilii in Sexto decret. tit. I. cap. I.

Quartum Concilium est Florentinum anno 1438, ubi rursus idem est definitum post

longissimas disputationes, consentientibus Græcis et Latinis.

Adde Concilia Toletana I. cap. 21. III, cap. 4. IV, cap. 4. VIII, cap. 1. et XI, cap. 1. quæ omnia celebrata sunt ante dissidium Græcorum, nimirum ante annum Domini 700. Ex his apparet non solum sententia Ecclesie, sed etiam Græcorum pertinacia et levitas, qui toties victi in disputationibus, semper ad vomitum redierunt.

CAPUT XXIV.

Idem probatur ex Patribus Latinis.

Proferemus nunc testimonia Patrum Latinorum, qui floruerunt doctrina, et sanctitate ante schisma et litem Græcorum; quos nolle recipere, nimis magna temeritas est, tum quia nulla est causa cur debeant recipi Græci, et non Latini, si sint ejusdem antiquitatis, eruditionis, et sanctitatis; tum etiam, quia videmus Concilium Ephesinum allegasse ad probandum dogma Ecclesiasticum, et Latinos, et Græcos: nimirum, Felicem, Julium, Cyprianum, Ambrosium, Latinos; Basilium, Nyssenum, Nazianzenum, Athanasium, Græcos; ut testatur Vincentius Lirinensis prope finem sui Opusculi. Item constat V, VI et VII Synodum pariter adduxisse testimonia Græcorum, et Latinorum, quod etiam facit Basilium lib. de Spir. S. cap. 29. et Augustinus lib. I. et II. in Julian. uterque enim profert testimonia Græcorum pariter et Latinorum.

Qui sunt igitur isti Græci novelli, qui SS. Patres Latinos, etiam antiquissimos, et probatissimos nihili faciunt? nonne vident hac ratione se schismatis accusare antiquissimam Ecclesiam? vel potius docere, nunquam Græcos cum Latinis conjunctos fuisse? ad certe aliud testantur acta septem generalium Conciliorum, ubi summam videmus Latinorum Græcorumque concordiam. Sed novi isti doctores non solum a doctrina, sed etiam a moribus veteris Ecclesie longissime recesserunt.

Primum igitur ex Latinis est Tertullianus, qui lib. cont. Prax. cap. 4. « Spiritum non aliunde puto, inquit, quam a Patre per Filium. » Ad hunc locum Græci responderent, se non negare Spiritum sanctum procedere per Filium, sed a Filio. Nam, ut docet Besarion in fin. Orat. dogmat. Græci admittunt illud per Filium sed exponunt tribus modis. Primo, quod per Filium addatur ad denotandam relationem ad Patrem. Secundo, ad denotandam consubstantialitatem Patris et Filii. Tertio, quia Per solet accipi pro Cum et citant nescio quem Poetam.

At prima et secunda evasio frigidissimæ sunt: nam eodem modo liceret etiam dicere, Filium procedere a Spiratore per Spiritum sanctum. Sic enim significarem relationem Patris spiratoris ad Spiritum sanctum, et consubstantialitatem Patris et Spiritus sancti. Deinde quid opus est, ut cum dicitur Spiritus a Patre procedere, simul indicetur relatio Patris ad Filium, aut consubstantialitatem Patris et Filii? Tertia non est etiam sufficiens. Primo, quia idem absurdum sequeretur, nimirum posse dici, Filium procedere a Patre per Spiritum. Secundo, quia quid sit de illo Poeta, in Scripturis et Patribus, imo etiam in communi modo loquendi Per significat causam, et sæpe etiam pro Ex accipitur, ut docet Basilium lib. de Spir. S. cap. 5. Legimus enim Genes. IV. *Possedi hominem per Deum*, id est, a Deo. Item Jo. I. *Omnia per ipsum facta sunt*. Et Colos. I. *Omnia per ipsum creata sunt*. Et Hebr. I. *Per quem fecit et secula* (1). Si enim in his locis Per significaret Cum, sensus esset, Filium esse factum seu creatum a Deo una cum ipsis creaturis: quod certe ne Græci quidem admittent, nisi cum Arianis desipere malint, quam cum Ecclesia Catholica recte sapere. Planum est igitur, Spiritum per Filium produci, secundum Scripturas nihil esse aliud, quam a Filio, sive ex Filio procedere, et produci. Sed pergamus ad cæteros.

II. Est B. Cyprianus, qui Serm. de adv. Spir. S. « Spiritus sanctus, inquit, a Patre procedens, a Patre et Filio quaternario superfertur, et opus suum Conditor benignus amplectitur etc. » Loquitur de Spiritu sancto, quando initio Mundi ferebatur super aquas, et quatuor elementa formabat.

III. B. Hilarius lib. II de Trin. sic ait: « De Spiritu sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est. Sed sileri a nobis, eorum causa qui nesciunt, non potest: loqui autem

de eo, non necesse est, quia de Patre et Filio auctoribus confitendum est, et quidem puto, an sit, non esse tractandum. »

IV. B. Ambrosius, quem certe Græci rejicere non debent, cum in tertia Synodo generali, ut sanctum Doctorem allegatum videant, lib. II, de Spir. S. cap. 12. « Omnia, inquit, Patris habet Filius, quia ait: Omnia quæ Pater habet mea sunt, et quæ accepit ipse per unitatem naturæ, ex ipso per eandem unitatem accepit et Spiritus, sicut ipse Dominus Jesus de Spiritu suo declarat dicens: Propterea dixi, quia de meo accipiet. »

V. B. Hieronymus in epist. ad Hedib. q. 9. « Ipse, inquit, Spiritus sanctus cum mittitur, a Patre et Filio mittitur; » in alio atque alio loco: « Spiritus Dei Patris et Christi Spiritus appellatur. » Et in cap. LVII Isaie: Spiritus « de Patre egreditur, et propter societatem naturæ a Filio mittitur. »

VI. Rufinus in explicat. Symb. « Spiritus sanctus, inquit, de utroque procedens, et cuncta sanctificans, »

VII. Augustinus tract. 99. in Jo. « Hic, inquit, aliquis forsitan quærat, utrum et a Filio procedat Spiritus sanctus. » Et infra: « Cor non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? » Vide etiam lib. XV. Trin. cap. 17, 26, 27. et lib. III, cont. Maximin. cap. 44.

VIII. B. Prosper lib. I, de vit. contempl. cap. 18. de Spiritu S., inquit, « ex Patre et Filio procedens. »

IX. B. Leo in epist. ad Turbium 91. alias 93. cap. 4. « Alius, inquit, est qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit. » Atque hic est magnus ille Leo, quem Synod. IV 630 Episcoporum, qui ferme omnes Orientales erant, in singularis actionibus summis laudibus extulerunt, et de quo identidem repetebant, ut credit Leo, sic et nos credimus.

X. B. Fulgentius lib. de Fid. ad Petr. cap. 2. « Proprium, inquit, Spiritus sancti, quia nec natus est, sed solus de Patre Filioque procedit. »

XI. Idacius Clarus lib. cont. Varimad. ult. med. « Si tibi, inquit, dixerint: Ostende Spiritum sanctum unde trahat originem. Responde, certa et manifesta origo Spiritus sancti Pater et Filius. »

(1) Gen. IV. 1; Joan. I. 3; Coloss. I. 16; Hebr. I. 2.

XII. Boetius lib. Ide Trin. cap. 12. «Ita cogitare debemus, Filium ex Patre esse, Spiritum sanctum ex utrisque etc.»

XIII. Hormisda Papa in epist. ad Justinum Imperat. cap. 2. «Proprium, inquit, est Spiritus sancti, ut de Patre et Filio procederet, sub una substantia Deitatis.»

XIV. B. Gregorius Papa Symbolum edidit, quod recitatur in ejus vita lib. II, cap. 2. quod ita habet: «Credo in Spiritum sanctum, nec genitum, nec ingenitum, sed coeternum de Patre et Filio procedentem.» Idem Gregorius lib. II, dial. cap. ult. dicit: « Spiritum a Patre Filioque procedere.» Idem Gregorius lib. II, dial. cap. ult. dicit: « Spiritum a Patre Filioque procedere.» Idem habet lib. II, Moral. cap. 8. quem Gregorium mirum est, cur Græci in suo Calendario esse patiantur, et ut vere sanctum honorent, cum tamen ejus sententiam tanquam heresim execerentur.

XV. Et postremus ex Latinis sit venerabilis Beda: eos enim solum adferre statui, qui ante schisma exortum floruerunt. Sic igitur loquitur Beda lib. I, de element. Philosoph. : Spiritus, inquit, iste a Patre et Filio procedit. » Idem quoque in collectaneis ex Augustino super epist. Paul., ad locum illum Galat. IV, *Misit Deus Spiritum Filii sui* (1), adducit prolixam disputationem Augustini, qua probatur, Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere. Sed jam ad Græcos veniamus.

CAPUT XXV.

Idem probatur ex Patribus Græcis.

Ex Græcis primus sit S. Gregorius Thaumaturgus, qui in confessione Fidei divinitus accepta, quæ exstat apud Gregorium Nyssenum in vita hujus Gregorii, ita loquitur: « Unus Spiritus sanctus ex Deo ortum et existentiam habens, quique per Filium apparuit, imago Filii perfecti perfecta. » Quo loco non est movenda questio de particula *Per* nec de verbo *Apparuit*: nam jam supra ostendimus, particulam *Per* significare cau-

(1) Galat. IV. 6.

sam, sive principium productivum, et ex eo, quod Filius misit Spiritum sanctum ad creaturas, colligi evidenter, Spiritum sanctum a Filio procedere etiam ab æterno.

Est autem notandum illud *Imago Filii*: nam etsi Spiritus sanctus non sit tam proprie imago Filii, quam est Filius imago Patris, quia non procedit ex vi similitudinis; tamen non posset dici ullo modo imago Filii, nisi ab illo procederet, et esset ei similis in essentia. Imago enim dicit relationem producti ad producentem, et sine hac habitudine non sufficit quælibet similitudo. Unde non dicitur, frater imago fratris, etiamsi illi simillimus sit; nec ovum unum alterius ovi est imago, quanquam propter similitudinem unum vix discernatur ab alio. Non enim sufficit similitudo, sed requiritur, ut unum procedat ab alio, quod in ovis et fratribus non reperitur. Cum ergo S. Gregorius Spiritum sanctum imaginem Filii dixerit, sine dubio existimavit, eum a Filio vere procedere.

Dices: non requiritur, ut exemplar sit causa activa imaginis, sed sat est si sit exemplaris, ut patet in statu. Respondeo, in rebus artificialibus exemplar non esse causam activam, at in naturali productione esse. Siquidem necessario coincidit cum principio activo, ut planum est in omnibus rebus. Omnia enim quæ naturaliter agunt, producant effectus suos ad similitudinem proprie formæ; quare cum Spiritus sanctus non libere, sed naturaliter producat, idem est principium activum, et exemplar respectu ipsius.

Secundus ex Græcis est B. Athanasius, qui in Symbolo ita loquitur: « Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. »

Ad hoc testimonium duo dici possunt. Primo, non esse hoc Symbolum vere Athanasii. Sed hoc facile refellitur, tum ex Gregor. Nazianz. in Orat. de laud. Athanasii, ubi dicit, eum composuisse perfectissimam Fidei confessionem, quam totus et Occidens et Oriens veneratur: tum vero ex Augustino qui nominatim Athanasium Episcopum Alexand. citans in Psalm. CXX., integrum versiculum hujus Symboli adducit, et sine nomine Athanasii ulitur integris sententiis hujus Symboli, tanquam in Ecclesia notissimi lib. V de Trinit. cap. 8. et epist. 174.

ad Pascent. Enchir. cap. 36. et Serm. 295. de tempore.

Secundo dici posset, hæc verba *Et filio* esse addita a Latinis. At neque hoc dici potest, tum quia etiam in Græcis Symbolis hæc particula invenitur, tum etiam in Concilio Toletano IV, cap. 1. recitatur confessio, fere ad verbum desumpta ex hoc Symbolo, et ibi legitur, a Patre et Filio, et fuit celebratum hoc Concilium circa annum 633. et proinde ante schisma Græcorum. Adde, quod Gennadius Scholarius in lib. pro defens. Concil. Florent. cap. 1, sect. 5. dicit, Græcos sui temporis dicere solitos, Athanasium fuisse ebrium, quando hæc scripsit. Ex quo apparet, illos non negasse, Athanasium ita scripsisse.

Secundus locus Athanasii sit ex Serm. 4. cont. Arian. longe ante med. fol. 233. « Non enim, inquit, tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionistæ, cum non tres Soles ad comparisonem adducamus, sed unicum Solem; ejusque splendorem, unicamque ex ambobus lucem. » Vides hic clarissime tria esse, Solem, splendorem, et ex utroque lucem procedentem. Nec puto dubitari posse, quin per Solem, Patrem, et splendorem Filium, per lucem Spiritum sanctum Athanasius intellexerit. Quid, quæso, hic responderi potest?

Tertius locus Athanasii in lib. qui inscribitur Redargutio hypocrisis Meletii, circa finem: « Atqui, inquit, impossibile, in Trinitatis gloria Spiritum sanctum numerari, si non emanasset ex Deo per Filium, sed per modum creaturæ a Deo factus, ut putant. » Nota, non dixisse Athanasium, ex Patre per Filium, ne Græci recentiores dicerent appositum Filium ad denotandam relationem: sed dixisse « ex Deo per Filium ». Nec possunt hæc referre ad missionem ad creaturas, cum hæc emanatio opponatur creationi.

Quartus locus est in epistola illa longissima ad Serapionem, ubi probat contra Macedonianos, non posse ullo modo defendi, Spiritum sanctum esse creaturam, si Filius non est creatura. Et hoc est argumentum totius epistolæ.

Idem autem probat hac ratione, quam in tota fere epistola variis modis proponit. Talis ordo et unio est inter Spiritum sanctum et Filium, qualis inter Filium et Patrem: sed Filius, quia est ex Deo Patre, est Deus sicut Pater; ergo similiter Spiritus sanctus

qui est ex Deo Filio, erit Deus sicut Filius: vel si ipse non est Deus, nec Filius erit Deus, imo nec Pater: « Cum igitur, inquit ult. med. epist., istiusmodi ordinem et naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem, qui fieri potest, ut qui Spiritum creaturam dicit, non illud idem necessario et de Filio sentiat? Si enim Filii creatura Spiritus est, consequens est, ut dicant etiam Verbum Patris creaturam esse. » Hæc ille. Ubi adeo certum esse creditur Athanasium, Spiritum sanctum a Filio produci, ut inde tanquam ex principio firmissimo, et notissimo concludat id quod erat dubium, videlicet, Spiritum sanctum esse Deum.

Respondere possunt: solum ordinem Spiritus ad Filium, et Filii ad Patrem in hoc consistere, quod sicut Pater mittit Filium ad creaturas, ita Filius mittit Spiritum. Sed hoc non potest dici nisi cum missione ad creaturas intelligamus veram processionem quoad esse: nam aliqui argumentum Athanasii nihil valerent, quomodo non valet hoc argumentum. Deus mittit Angelos; ergo vel Angeli non sunt creatura, vel Deus est creatura: hoc enim ideo nihil valet, quia Angeli sic mittuntur a Deo ad creaturas, ut illa missio non includat æternam processionem Angelorum ab ipsa Dei substantia. Si ergo Spiritus sanctus mittitur a Filio ad creaturas, et ab ipso Filio non procedit substantia-liter sicut a Patre, certe non aliter mittitur, quam Angeli mittuntur; et propterea non potest inde colligi, ipsum esse Deum, aut Filium non esse Deum, quod tamen Athanasius colligit. Deinde si Athanasius loqueretur de missione ad creaturas, non diceret: « Si enim Filii creatura Spiritus sanctus est, etc. » ista enim verba productionem significat, non missionem: ac contendit Athanasius, Spiritum sanctum a Filio produci, sed non creari ex nihilo.

Præterea post annum folium inquit Athanasius: « Quin etiam Filii imago est, et dicitur Spiritus. » Et infra: « Quod si Filius, quia ex Deo et Patre est, proprius ipsius substantiæ est; necesse est et Spiritum, quia ex Deo esse dicitur, proprium esse Filii secundum substantiam. » Sane Athanasius cum dicit Spiritum ex Deo esse, intelligit ex Deo Filio, aliqui non bene concluderet: ideo illum esse proprium Filii, sicut Filius ideo est proprius Patris, quia ex Patre est. Exstant etiam duæ epistolæ breviores ad

eumdem Serapionem, ubi eadem dicit aliis verbis.

Tertius Græcus Pater est S. Basilius, quem quidem Græci fere aliis omnibus anteponunt. Is igitur lib. II in Eunom. circ. fin. « Illud vero, inquit, cui ex omnibus obscurum est, quod nulla Filii operatio a Patre dissecta est, neque est aliquid in rerum natura, quod Filio adsit, et a Patre alienum sit. Omnia enim, inquit, mea tua sunt, et tua mea sunt; quomodo igitur Spiritus causam soli unigenito attribuit? » Hæc ille.

Nec verba Græca ab his ullo modo dissonant, sic enim ait: *Πᾶς ὁ τοῦ πνεύματος τῶν υἱῶν τὸ μυστήριον μόνῃ προσέτιθεται*; certe Basilius probans non solum Filium esse causam Spiritus, sed etiam Patrem, quia omnia quæ habet Filius habet Pater, simul docet, imo pro comperto assumit, Spiritus causam, ut Græci loquuntur, esse Filium. Nec potest ista causa referri ad dona Spiritus sancti: nam Basilius scribit contra Eunomium, qui non de donis disputabat, sed de substantia Spiritus sancti, ac volebat solum Filium esse vere causam Spiritus sancti.

Alter est locus Basilius lib. III cont. Eunom. circa principium: « Cur, inquit, necesse est, si dignitate et ordine tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate namque ipsum secundum a Filio cum ab ipso esse habeat, et omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit, natura vero tertium, uti neque ex sanctis Scripturis didicimus, neque ex prædictis colligere possibile est. »

Hunc locum in Concilio Florentino sess. XX dixerunt Græci corruptum esse, et non haberi in Græcis codicibus omnibus, sed solum in quibusdam. Et vere in Græco textu Basileæ edito anno 1531, sic habetur: *Ἀξιώματι μὴ γὰρ δευτερεύει τοῦ υἱοῦ, παραβῆσαν δὲ τῆς υἰοθετίας λόγος* etc. ac desunt illa verba « Cum ab ipso esse habeat, et omnino ab illa causa dependeat », in quibus vis rationis tota posita est. Tamen Latini responderunt, Græcum codicem potius esse corruptum ab ipsis, et exhibuerunt codicem antiquissimum scriptum ante annos sexcentos, ubi erant omnia quæ recitavimus.

Sed præterea ex consequentibus colligimus evidenter, aut illa verba debere esse in textu, aut certe sensum eorum. Nam sic pergit Basilius: « Nam quemadmodum Filius ordinæ quidem a Patre secundus est, quoniam ab illo est: et dignitate, quoniam ori-

go atque causa essendi Pater ipsi est; natura vera nullo modo secundus, quoniam in utroque una est Deitas: ita et Spiritus sanctus, etsi dignitate et ordine secundus a Filio est, non tamen aliena ipsam esse naturam inde consequetur. » Et habentur hæc omnia in Græco ad verbum. Perpende, obsecro, rationem Basilius. Dicit, Spiritum esse secundum a Filio ordine et dignitate, non tamen natura. Et probat, quia sicut Filius est secundus a Patre, quia ab illo habet esse: ita quoque et Spiritus est secundus a Filio, ubi nisi addatur vel subintelligatur id, quod est in nostris codicibus, videlicet, Spiritum habere esse a Filio, sicut Filius habet esse a Patre, ratio Basilius nihil concludit, nec uno modo probari posset, Spiritum sanctum esse secundum a Filio, ut Filius est secundus a Patre.

Tertius locus est in lib. V cont. Eunom. cap. 8. et quod Spiritus sanctus sit vera et naturalis imago Dei et Christi. Iste enim titulus: *ὅτι ἐκὼν ἀληθῆς, καὶ ὁμοῦς Θεοῦ, καὶ Κριστοῦ τὸ πνεῦμα* satis indicat, Spiritum sanctum habere esse a Patre et Filio. Nam, ut supra diximus, non est vera et naturalis imago, non producitur ab ipso exemplari.

Quartus locus est in lib. eod. cap. 11. ubi sic legitur in ipso titulo capituli: *ὅτι ὡς υἱὸς πρὸς πατέρα ἔχει ὁμοῦς πνεῦμα πρὸς υἱόν*; hoc est: « Quod ut se habet Filius ad Patrem: sic etiam se habet Spiritus ad Filium. » Et mox pergit: *Διὰ τούτο καὶ Θεοῦ μεν λόγος ὁ υἱὸς, ἴσημα δὲ υἱοῦ τὸ πνεῦμα*: hoc est: « Quapropter Verbum Dei est Filius, Verbum autem Filii est Spiritus sanctus. » Hæc ille. At quomodo Verbum Filii Spiritus dici potest, si ab ipso non procedit? Et quomodo sic se habet Spiritus ad Filium, ut Filius ad Patrem, si Filius quidem a Patre procedit, Spiritus autem sanctus non procedit a Filio?

Quintus locus est in eod. lib. cap. 12. ubi talis proponitur questio: *Δὲ τί μὴ καὶ τὸ πνεῦμα υἱὸς τοῦ υἱοῦ;* « Quare Spiritus non est Filius Filii? » Respondet autem Basilius: *ὅτι οὐ διὰ τὸ μὴ εἶναι ἐκ Θεοῦ δὲ υἱοῦ, ἀλλ' ὅτι ἡ τριπλῆς μὴ ἡμετέρι πλῆθος ἄπειρος*, et quæ sequuntur: hoc est: « Non ideo non dicitur Filium Filii, quia non sit ex Deo per Filium, sed ne suspicemur, Trinitatem multiplicari in infinitum. » Nam si Spiritus diceretur Filius Filii, consequens videretur, ut etiam ipse haberet alium filium, et sic deinceps.

Sunt autem hic aliqua observanda, ac primum ipsum titulum questionis esse ar-

gumentum pro nostra veritate: nam si Spiritus esset a solo Patre; certe non quæreretur, cur non dicitur Filius Filii: sicut nemo quærit, cur frater non dicatur filius fratris, cum res tam sit perspicua, ut ne suspicio quidem ulla inde nasci possit. Cum ergo serio quaesitum sit, cur Spiritus non dicatur Filius Filii, signum est, in confesso apud omnes fuisse, Spiritum a Filio procedere.

Nota secundo, istam questionem magnum negotium fecisse tam Basilio, quam Athanasio in epistolis citatis ad Serapionem: uterque enim videtur magnas angustias pati, et hoc ipsum est ingens argumentum pro nostra veritate. Nam potuissent uno verbo dicere: non dicitur Filius, quia non est ab illo, et tamen hoc nunquam dixerunt, sed dicunt, hoc esse mysterium inscrutabile, et satis nobis esse debere, in his rebus scire quia est, et non quærere debere, cur et quomodo, etc.

Nota tertio, responsonem Basilius « non quia non sit a Deo per Filium » esse item argumentum pro nobis. Nam si illud *Per* non significaret causam, sed poneretur loco *Cum*, ut Græci volunt, Basilius nihil dixisset. Si enim Spiritus esset a Deo per Filium, id est, cum Filio; nemo potuisset suspicari, illum esse Filium Filii, sed potius suspicari debuisset, esse fratrem Filii.

Nota ultimo, responsonem Basilius hunc sensum habere, est Spiritus a Filio, tamen per alium modum productionis, quam per generationem; ideo non dicitur Filius, etc.

Sextus locus est in lib. de Spir. S. cap. 17. ubi sic loquitur Basilius: *ὡς τὸ αὐτὸ ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς πατέρα ὁμοῦς πρὸς υἱὸν τὸ πνεῦμα*: hoc est: « Sicut se habet Filius ad Patrem, sic ad Filium se habet Spiritus. » Hæc ille. Quæ autem est habitudo inter Patrem et Filium, nisi productus ad productum? Idem enim sunt Pater et Filius, eo excepto, quod Filius est a Patre, non Pater a Filio; igitur et inter Filium et inter Spiritum sanctum ea sola distinctio est, quod Spiritus sanctus a Filio est, non Filius a Spiritu sancto.

Quartus sit Gregorius Nyssenus, qui tria testimonia nobis præbebit. Unum citat Gennadius in defens. Conc. Florent. cap. 1. ex homil. 4. in Orat. Dominicæ: « Spiritus sanctus et ex Patre dicitur, et ex Filio præterea esse ostenditur, etc. » Hunc tamen locum dicit Gennadius ex plerisque codicibus a Græcis esse sublatum, et vere non reperitur in exemplaribus, quæ nunc exstant.

Alterum testimonium adducit Bessarion in sua Orat. cap. 6. ex lib. 1. Greg. in Eunom. qui libri nondum Latini exstant: « Spiritus, inquit, Patri conjunctus est, secundum quod uterque increatus est. Rursum ab eo distinguitur, eo quod ipse non est Pater: Filio vero, et secundum quod uterque increatus est, et secundum quod uterque ex primo principio suam substantiam habet. conjunctus; distinguitur sua proprietate, quæ est, quod nec unigenitus ex Patre productus est, et quod per ipsum Filium sit manifestatus. » Hæc ille. Ubi nota primo, illud *Per* non posse accipi pro *Cum*, quia Spiritus quatenus cum Filio a Patre procedit, non distinguitur a Filio, sed conjungitur cum eo, hic autem de distinctione agitur. Nota secundo, illud *Manifestatus* non posse accipi pro sola effusione donorum temporalium: nam hic agitur de ipsa distinctione personarum: personæ autem distinctæ erant suis proprietatibus ante omnem missionem externam Spiritus sancti.

Tertium testimonium habetur in lib. ad Ablab., quod non oporteat tres Deos dicere, circa fin. lib., ubi cum docuisset Gregorius, suam esse naturam simplicissimam Dei, subiungit, non ideo confundi personas, sed distingui per hoc, quod una est ab alia: « Eam, inquit, quæ causa causam et causatum consideratur differentiam, non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum, eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa, et ejus quod ex causa est. Rursum aliam differentiam consideramus: nam aliud quidem continenter et sine medio ex primo est; aliud vero per id, quod immediate et ex continentis est. »

Nota primo, ex illis primis verbis *Per quod solum* colligi evidenter, Filium esse causam, seu principium Spiritus sancti. Nam Gregorius dicit, solum discerni tres personas per hoc, quod una est causa alterius. Hinc enim sequitur; si Filius non est causa Spiritus sancti, Filium et Spiritum sanctum non distingui. Nec enim dicturi sunt Græci, Spiritum sanctum esse causam Filii: at neque dicturi sunt Spiritum a Filio non distingui, ne Dualitatem pro Trinitate colant; coguntur igitur fateri, si Gregorio Fidem habent, Filium esse causam Spiritus sancti.

Nota secundo, in illis verbis « Aliud causam, aliud ex causa, et ejus quod ex causa est, » notari tres proprietates trium perso-

narum. Nam Pater causa est, Filius ex causa, Spiritus sanctus ex eo quod est ex causa, id est, ex Filio.

Nota tertio, in illis verbis : « Rursus aliam differentiam, » non proponi aliam differentiam specie diversam a superiore, tunc enim pugnaret secum Gregorius, qui dixerat, hoc solo distingui personas, quod una est causa alterius; sed differentiam aliam vocat illam eandem alio modo propositam : est autem hæc, quod Filius est immediate a solo Patre, Spiritus autem mediate a Patre, immediate a Filio; quod tamen sano modo intelligendum est. Nam Spiritus est a Patre mediate et immediate; mediate quatenus Pater non solum per Filium, sed etiam per seipsum Spiritum producit. In hoc ergo differentia consistit, quod Filius nullo modo est a Patre mediate, sed solum immediate; at Spiritus aliquo modo a Patre est mediate.

Quintus est Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui Orat. 5. de Theol., quæ est de Spiritu sancto, ita loquitur : *εὐ εἰς ἐκείνους, ὁ δὲ δέξαι τὸ πνεῦμα πρὸς τὸ αὐτὸ νόμον εἰ γὰρ καὶ λέγουσι τὸ πῶς, οὐδὲν ἄν ἦν οὐ λέγουσι γὰρ οὐδὲ γὰρ ὁμοιωθῆναι, τὸ δὲ τῆς ἐκλήσεως τὸ οὐκ ἔστι, ἢ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως διαφόρου, διέφορου αὐτῶν καὶ τὸν αὐτὸν πνεύματος.* Quibus verbis querit, quid deest Spiritui sancto, quare non sit Filius. Respondet : « Deesse nihil, dicimus; neque enim Deo quidquam deest : verum manifestationis, ut ita dicam mutæque eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit etc. » Quo loco Gregorius reddit istam causam, cur Spiritus non dicatur Filius, quia habent diversas, imo oppositas ac mutuas relationes : at certe non possunt esse mutue relationes inter Filium et Spiritum sanctum, nisi quia unus spirat, alter spiratur : nec enim Filius qua Filius est relativum ad Spiritum sanctum, sed Filius qua spirator refertur ad Spiritum sanctum. Nec potest responderi, distingui Filium et Spiritum sanctum per diversas relationes respectu Patris, non respectu ipsorum ad invicem : nam clare dixit Gregorius, Spiritum non esse Filium, hoc est, distinctum esse a Filio, propter habitudinem quam habent inter se, hoc est, propter mutuam relationem.

Præterea paulo infra scribit : eodem modo Filio nihil deesse cur non sit Pater, et tamen non esse Patrem, quia nimirum habent oppositas relationes. El paulo infra ponit exemplum Adæ, Evæ, et Seth quorum Adam a

nullo est homine, Eva a solo viro, Seth ab utroque, ὁ ἄδων εἰ ποτε ἦν, ἀλλὰ ἄρα Θεοῦ. τὸ δὲ ἔξ Ἐυῆ; γὰρ τὰ τοῦ πάλαμος, τὸ δὲ ὁ Σῆθ; ἀπορροίον γέννημα. « Quid, inquit, erat Adam? figmentum Dei. Quid Eva? segmentum figmenti. Quid Seth? germen ex utroque. » Cum ergo his tribus hominibus tres divinas personas Gregorius comparaverit, quis non videt ex sententia Gregorii, Filium esse a Patre, Spiritum vero a Patre et Filio?

Sextus Cyrillus Hierosolymitanus catech. 7. ante med. : « Unus tantum, inquit, est, atque idem Spiritus sanctus veniens et subsistens, qui ubique Patri et Filio adest, non qui ab ore et labiis Patris et Filii loquendo formetur, vel effletur, aut in aërem diffundatur, sed substantialis, loquens ipse, et operans etc. » Ubi non diceret Cyrillus, eum non formari corporali modo ab ore Patris et Filii, nisi crederet eum spirari aliquo modo a Patre et Filio : satis enim erat dicere, non formari ab ore Patris. Vult ergo Cyrillus, Spiritum sanctum esse Spiritum Patris et Filii, et ab utroque procedere; sed modo spirituali et ineffabili.

Septimus Joannes Chrysostomus hom. 1. de Symb. « Iste, inquit, est Spiritus de Patre et Filio procedens, qui dividit propria dona singulis prout vult. » Et homil. 2. « Istum, inquit, Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio cœqualem, et procedentem de Patre et Filio. » Et homil. 76. in Jo. « Ecce, inquit, quod non Pater solus, sed etiam Filius Spiritum mittit. » Ac ne dicant Græci, Chrysostomum loqui de temporali missione donorum Spiritus sancti, idem Chrysost. hom. 77. explicans, cur dicatur mitti Spiritum a Filio : « Præterea, inquit, et personarum differentiam ostendit cum duas ponit etc. » Ergo si missio exprimitur ad significandam distinctionem personarum, vere persona ipsa mittitur, non sola dona : et cum distinctio personarum sit æterna, hæc missio æternam emanationem includat necesse est. Denique Gennadius in sua apol. pro Latin. cap. 1, §. 4. adducit alium locum Chrysostomi ex hom. de Incarnat. in hæc verba : « Venit Christus ad nos, dedit nobis descendentem ex ipso Spiritum, et corpus nostrum suscepit. »

Octavus Epiphanius heres. 69. quæ est Arianorum pag. 249. « Sed neque sanctus Spiritus aliis spiritibus adæquatur, quoniam unus est Spiritus Dei, Spiritus ex Patre procedens, et Filio accipiens, hi vero volunt

hunc creaturam creaturæ esse etc. » Quo loco illud « Ex Filio accipiens » nihil significare potest, nisi ex Filio procedens per æternam emanationem. Nam opponit Epiphanius istud « Accipere ex Filio » creationi : docet enim, Spiritum non esse creatum à Filio, ut heretici dicebant, sed accepisse subsistentiam suam a Filio alio modo, quam per creationem. Unde paulo infra iterum ait : « Et quandoquidem non alienus est Filius a Patre, sed ex ipso genitus, etiam non alienus est Spiritus sanctus. Verum Filius quidem unigenitus, genitus sine principio, sine tempore, sanctus autem Spiritus neque genitus est, neque creatus, sed ex Patre procedens, et de Filio accipiens. » Et pag. 223. « Omnia a Deo sunt creata, solus vero Filius Dei genitus est, et solus Spiritus sanctus ex Patre processit, et ex Filio accepit : reliqua vero omnia sunt creata, et neque progressa ex Patre processerunt, neque ex Filio acceperunt. » Pag. 229. « Quo ostendat, inquit, fontem ex fonte, ex Patre et Unigenito Spiritum sanctum. »

Item in Anchor. pag. 332. « Spiritus Dei, et Spiritus Patris, et Spiritus Filii non juxta aliquam compositionem, quemadmodum in nobis anima et corpus, sed in medio Patris et Filii ex Patre, et Filii tertius nomenclatura. » Pag. 349. « Si vero Christus ex Patre creditur Deus ex Deo, et Spiritus ex Christo, aut ab utrisque. » Pag. 350. « Vita, inquit, ex vita est Filius, Spiritus autem sanctus ab utrisque. » Pag. 351. « Filium, inquit, vocat eum qui est ex ipso, Spiritum vero sanctum ab utrisque. » Et infra : « Audi, o bone, quod Pater veri Filii est Pater totus lux, et Filius veri Patris lux de luce, non sicut factura aut creaturæ nomine solum : et Spiritus sanctus Spiritus veritatis est, lux tertia a Patre et Filio. » Et infra : « Spiritus sanctus ex Patre et ex Filio solus est lux veritatis. »

Nonus Didymus Alexandrinus lib. II de Spir. S. ult. med. : « Non loquitur, inquit, a semetipso, hoc est, non sine meo et Patris arbitrio, quia inseparabilis a mea, et Patris est voluntate, quia non ex se est, sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum quod subsistit, et loquitur, a Patre et me illi est. » Et infra : « Spiritus, inquit, sanctus, qui est Spiritus veritatis, Spiritusque sapientiæ, non potest Filio loquente audire quæ nescit, cum hoc ipsum sit quod profertur a Filio, id est, procedens a veritate, consolator manans de consolatore. » Et pag. seq. « Neque, inquit,

alia substantia est Spiritus sancti, præter id quod datur ei a Filio. »

Decimus Cyrillus Alexandrinus lib. XI in Jo. c. 1. « Verum, inquit, quoniam consubstantialis Filio est, proceditque per eum, omnem ejus habens virtutem ; ideo ait, quia de meo accipiet. » Et infra : « Nam cum per Filium naturaliter procedat ut proprius ejus cum omnibus quæ absolute habet, accipere dicit quæ ipsius sunt. »

Nota, Spiritum procedere per Filium cum omnibus quæ absolute habet. Quid enim id aliud significat, quam Essentiam divinam, et omnes absolutas perfectiones Spiritui sancto per processionem a Filio communicari? Et cap. 25. « Ex ipso, inquit, substantia Dei Patris prodiens, profusus autem ad Sanctos per consubstantiale Verbum, a quo est secundum emissionem ad esse atque subsistere. » Potuitne clarius sanctus Cyrillus dicere, Spiritum sanctum a Filio procedere? Id enim intelligimus nos per processionem a Filio, habere esse et subsistere Spiritum sanctum a Filio, quod disertis verbis Cyrillus affirmat. Item lib. XII in Jo. cap. 56. « Ex Patre, inquit, per Filium procedit. » Item lib. XIII thesaur. cap. 2. « Et ideo, inquit, Spiritum sanctum Domium similitudo appellat, sicut ex ipso Filio, et in ipso naturaliter existentem. » Et infra : « Sic Filium Dei ex ipso et in ipso Patre naturaliter esse intelligimus. Ex Filio autem naturaliter esse essentialiter Spiritum sanctum sicut ex Patre provenire credimus. » Item lib. de rect. Fid. ad Theodos. ult. med. Et lib. V, VI et VII de Trin. similia habet. Denique in cap. II. Joelis (ut citat Bessario in sua Orat. cap. 7.) « Proprius, inquit, ipsius, et in ipso, et ex ipso Spiritus est, quemadmodum sane de ipso Deo et Patre intelligitur. »

XI. Simeon Metaphrastes, cujus in Concilio Florentino honorifica mentio fit, in vita S. Dionysii Areopagite : « Ascendit, inquit, meus Christus in celum, et ad paternam sedem revertitur, et Spiritum, qui ex ipso procedit, mittit discipulis. »

XII. Anastasius, cujus fit mentio cum magno honore in VI Synodo. in I. lib. de rect. dogmat. sic loquitur : « Spiritus sanctus appellatus est Spiritus oris Dei : os enim Patris est Filius. » Hæc ille. Ubi satis aperte indicat, Spiritum sanctum sic a Filio procedere, qui os Dei dicitur, sicut Spiritus oris nostri a nostro ore spiratur. Idem infra : « Ut doceat, inquit, unam esse essentiam tam

ejus qui accipit, quam illius a quo accipit, ipsius etiamnum a quo procedit. » Hæc ille. Ubi per eum qui accipit essentiam intelligit Spiritum, per eum a quo accipit Filium, per eum a quo procedit Patrem. Quod si Spiritus a Filio essentiam accipit, quid aliud requirimus? Nec enim de voce *Procedit* questio esse debet, cum de re ipsa constet. Unde ibidem subiungit: « Neque enim ex eo prodiit, quod aliena sit essentia, aut quidvis accipit ex non sibi consubstantialibus. » Et infra: « Rursum, inquit, ipse Spiritus et ab ipso procedit et mittitur, non a Patre solo, sed et a Filio. » Et infra: « Equidem Dominus declarans Spiritum sanctum a se emergere, insufflans in discipulos dicebat: Accipite Spiritum sanctum.

XIII. Tharasius in epist. ad Patriar. Orientis, quæ habetur VII Synodo, act. III. « Credimus, inquit, in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit. »

XIV. Maximus vir doctissimus et sanctus in cap. IV. Zach. « Spiritus sanctus, inquit, quemadmodum secundum essentiam Dei et Patris est, ita et Filii secundum essentiam est tanquam ex Patre essentialiter, per Filium ineffabiliter natum procedens. » Citat hunc locum Bessario cap. 6.

XV. Est Joannes Damascenus lib. I de Fid. cap. 18. « Imago, inquit, Patris est Filius, et Filii Spiritus sanctus »: at certe imago ab exemplari habet esse. Et infra: « Deus Spiritus sanctus medius ingeniti, et geniti, et per Filium Patri conjunctus. » Habemus igitur quindecim testes Latinos, et quindecim Græcos, qui ante dissidium nostrum exortum apertissime docuerunt, Spiritum sanctum a Patre et Filio produci, ac spirari, ut jam intolerabilis plane Græcorum obstinatio videri debeat.

CAPUT XXVI.

Et ratione idem confirmatur.

Vide rationes multas apud S. Thomam lib. IV cont. Gent. cap. 24. et q. X de pot. art. 4. Ratio præcipua S. Thomæ est hæc. Si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non distingueretur ab illo: hoc autem est contra Fidem, quia tunc esset Dualitas, non

Trinitas; igitur procedit a Filio Spiritus sanctus.

Propositio argumenti ita probatur. Omnis distinctio in Deo nascitur ex relationibus originis: at si Spiritus non procederet a Filio, non esset inter eos relatio originis; ergo si Spiritus non procederet a Filio, non distingueretur a Filio. Hujus argumenti probatur iterum propositio. Nam in Deo nihil est nisi essentia et relatio, sive absolutum et relativum: sed essentia et omnia absoluta sunt communia; ergo sola relatio distinguit. Unde in Concilio Toletano XI, cap. 4. dicitur, in solis relationibus numerum cerni; proinde omnem distinctionem ex relationibus ortum ducere: ubi enim non est distinctio, nec numerus esse potest. Præterea, si non essent communia tribus personis omnia absoluta, non essent tres personæ una res, ut docet Concilium Lateranense c. 2. Item non possemus defendere Dei simplicitatem, nec possemus ostendere, nullam perfectionem esse in una persona, quæ non sit in alia; quare dubitari non debet, quin sola relatio distinguat Trinitatem.

Rursum. Non quælibet relatio sufficit ad distinctionem faciendam: nam relationes non oppositæ non distinguunt, ut patet, quia in uno Patre sunt duæ relationes, paternitas et spiratio activa, et tamen non distinguunt duas personas; ergo debent esse relationes oppositæ ut distinguant.

Rursum. Non quælibet oppositæ distinguunt, sed reales esse debent: nam relatio identitatis dicit oppositionem, sed non distinguit, quia non dicit oppositionem realem. Rursum relationes oppositæ, et reales, vel fundantur super quantitate ut æqualitas, vel super qualitate ut similitudo, vel super actione ut paternitas, et filiatio: sed in Deo non sunt relationes reales fundatæ in quantitate, aut qualitate; ergo solum remanent relationes fundatæ in actione, quæ dicuntur relationes originis, quæ distinguere possunt personas.

Probatur assumptio. Nam in Deo est quidem æqualitas et similitudo, sed quia fundamentum horum omnium est sola essentia, quæ est una numero; ideo iste relationes rationis sunt, non reales: non enim possunt esse reales relationes, ubi non sunt fundamenta proxima distincta realiter. Et licet æqualitas et similitudo in Deo essent relationes reales, ut vult Scotus, tamen adhuc non posset inde sumi distinctio personarum. Nam

Scotus putat, ad hoc ut sint relationes reales, non requiri distincta fundamenta, sed sufficere distincta subjecta relationum: et quoniam Pater et Filius sunt extrema realia; ideo putat eorum æqualitatem et similitudinem esse relationes reales.

Itaque secundum hanc sententiam non sunt distinctæ personæ, quia æquales aut similes, sunt reali relatione æqualitatis vel similitudinis: sed e contrario, ideo reali relatione sunt æquales aut similes, quia distinctæ personæ sunt. Solæ ergo relationes originis distinguuntur; et inde sequitur, ut jam probatum est, aut Spiritum sanctum originem ducere a Filio, et ad eum referri relatione originis, quod est ab ipso procedere: aut certe ab eo non distingui, quod ne Græci quidem unquam docuerunt.

Sed contra hanc rationem est obiectio molestissima: nam non videtur verum, solas relationes oppositas distinguere in Deo realiter. Nam paternitas, et spiratio passiva distinguuntur realiter; et tamen non opponuntur: similiter filiatio et spiratio passiva.

Respondent aliqui: paternitatem distinguunt a spiratione passiva, quia identificatur cum spiratione activa, quæ passivæ opponitur. At contra. Nam tunc spiratio activa non posset esse in Filio, quia identificatur cum paternitate, quæ opponitur filiationi, et similiter essentia non posset esse in Filio aut Spiritu sancto, quia identificatur cum paternitate, quæ distinguatur realiter a filiatione et spiratione passiva.

Respondent alii: paternitatem et spirationem passivam distinguunt, quia sunt in distinctis suppositis. At neque hoc satisfacit: nam etiam spiratio activa est in distinctis suppositis, nimirum in Patre et Filio; et tamen est una et eadem in utroque. Et ipsa essentia nonne est in tribus suppositis re distinctis; et tamen est una et eadem in omnibus? Et præterea ipsa supposita, id est, Pater et Spiritus sanctus non sunt opposita proprie; ergo non omnis distinctio oritur ex oppositione.

Respondent alii: paternitatem et spirationem passivam esse opposita virtualiter, quia paternitas fundatur in productione notitiæ, spiratio passiva in productione amoris, quæ productiones oppositæ sunt, cum includant relationes originis: nam amor ex cognitione nascitur. At contra. Nam amor non oritur ex cognitione effective; intellectus enim solum proponit obiectum volunta-

ti: non autem est distinctio realis necessario ponenda inter obiectum et actum, ut patet in Deo, ubi essentia est obiectum cognitionis et amoris, et non distinguitur a cognitione et amore.

Respondeo igitur: paternitatem non opponi spirationi passivæ, et tamen distinguuntur ab ea ratione alicujus oppositæ relationis. Est enim observandum, cum duæ relationes opponuntur, non solum ipsas distinguunt, sed etiam propter ipsas distinguuntur ipsa supposita relativa. Itaque non solum distinguuntur spiratio activa et passiva, sed etiam distinguuntur spirator et spiratus: et quia ista relativa sunt personæ subsistentes: consequenter distinguuntur proprietates constitutive harum personarum, alioqui una esset alia.

Quoniam igitur paternitas est constitutiva personæ spirantis, necessario distinguuntur a spiratione passivæ, quæ est constitutiva personæ spiratæ, alioqui Spiritus sanctus a seipso procederet. Nam a Patre procedit, et ipse esset Pater, si non distingueretur paternitas et spiratio passiva. Idem dico de filiatione, quæ distinguuntur a spiratione passivæ, quia filiatio constituit personam Filii, et proinde spiratoris, si a Filio procedit Spiritus sanctus: spiratio autem passiva constituit personam spirati; opponuntur autem spirator et spiratus. Itaque aliqua distinguuntur in Deo, quæ non opponuntur relative: sed ratio distinctionis semper est aliqua oppositio relativa, quæ si tollatur, nulla remanet distinctio.

Dices: si Spiritus non procederet a Patre, sed a solo Filio, nulla esset oppositio relativa inter Patrem et Spiritum; et tamen ab eo distingueretur: nam alioqui Spiritus esset Pater, et sic produceret suum auctorem, id est, Filium. Respondeo: non posse illo modo tolli a Patre spirationem activam, nisi tollatur etiam a Filio; nam si Filius spirat Spiritum sanctum, eo ipso etiam Pater spirat, saltem mediate, et sic mediate opponitur Spiritui sancto: at si tollatur a Filio spiratio activa, non necessario tollitur a Patre, sed tunc non distingueretur Filius a Spiritu sancto. Quod si fingamus tolli ab utroque, tollitur etiam ipsa processio Spiritus sancti, atque adeo ipse Spiritus sanctus.

Alia est obiectio adversus eandem nostram rationem. Generari et spirari sunt duo modi productionis plane impossibiles, et

in eis fundantur relationes impossibiles, etiamsi nullo modo sint oppositæ, ut patet, quia nihil potest bis produci, aut duobus modis produci, et idem testantur exempla: nam nemo potest gignere filium per naturam, et eundem producere ex arte, et facere ut sit idem filius et statua, etiamsi non opponantur hæc ullo modo. Accedit etiam S. Anselmi auctoritas, qui lib. de process. Spir. S. cap. 1. sic ait: « Quoniam nondum constat quod Spiritus S. de illo sit, et procedat; ideo non est Spiritus S., nec Spiritus S. est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre: Spiritus S. vero, non nascendo, sed procedendo. »

Respondeo: quæ sunt in creaturis multa et divisa, in Deo esse unum et simplex, modo non impediatur oppositio. Unde si a Filio non procederet active Spiritus sanctus, sine dubio generari et spirari non essent duo modi, sed unus realiter, qui tamen distingui possent ratione. Nam sicut in Deo idem sunt intellectus et voluntas, intelligere et velle, idem etiam esse posset Verbum et Amor, nisi unum ab altero vere procederet: et sicut non repugnat uni personæ ut sit dicens et amans, seu Pater et spirator; ita non repugnat uni personæ ut sit Verbum et Amor, Filius et Spiritus sanctus.

Adde, quod non deest etiam exemplum in creaturis: nam gignere et docere sunt diversissima formaliter, et similiter relationes Patris et Filii plurimum differunt a relationibus doctoris et discipuli; et tamen unus et idem potest esse pater et doctor respectu ejusdem, qui erit filius et discipulus ejus. Quando autem id non videmus, ut in illo exemplo de filio et statua, id accidit propter multiplicationem et distinctionem materiæ, non propter impossibilitatem relationum.

Ratio ergo S. Thomæ solidissima est, et deducta ex fundamentis Fidei, et præterea est communis Patrum doctrina, quod sane Scotus non advertit. Nam Nazianzenus Orat. 5. de Theol., solum agnoscit distinctionem ob relationes originis. Nysenus in fine libri ad Ablabium solum dicit, distingui in Deo personas per esse causam et causatum, quod est idem cum præcedente sententia. Augustinus lib. I Trin. cap. ult. et lib. XV, cap. 14. solum vult distingui personas per hoc, quod una est ad aliam. Boetius lib. I de

Trin. cap. 12. « Sola, inquit, relatio multiplicat Trinitatem, » Anselmus lib. de process. Spir. S. cap. 2. omnia dicit esse unum, ubi non obviat relationum oppositio. Richardus lib. II de Trin. dicit, distinctionem personarum nasci ex numero productionum, quia una persona producit, et non producit, alia producit, et producit, tertia producit, et non producit.

Ex his ad locum ex Anselmo citatum facile est respondere. Anselmus enim in 1. et 2. cap. exponit ea, in quibus nos cum Græcis convenimus, quorum unum est, quod Filius a Spiritu Sancto distinguatur, quia unus nascendo; alter procedendo accipit esse. Deinde autem ostendit, non posse esse hos duos modos distinctos, nisi Spiritus sanctus sit a Filio, quia omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Superest jam, ut argumenta Græcorum breviter proponamus, et confutemus.

CAPUT XXVII.

Solvantur argumenta Græcorum.

Primum argumentum sumunt ex illis verbis Jo. XV. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (1). Cum enim tam diserte Dominus dixerit, Spiritum sanctum a Patre procedere, et non addiderit a Filio; temeritas videtur asserere, Spiritum a Patre Filioque procedere.

Respondeo cum Augustino lib. III cont. Maxim. cap. 14. nominari solum Patrem, non ad excludendum Filium, sed quia Pater est principalis auctor Spiritus sancti: Filius enim a Patre habet ut spiret. Quod autem Filius non excludatur, etiamsi non nominetur, probatur primo ex aliis similibus locis. Nam Matth. XVI dicitur: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est*: et tamen illa revelatio facta fuit ab omnibus personis. Et de Spiritu sancto Jo. XV. *Ille vos docet omnia* (2): et tamen etiam Pater et Filius nos docent omnia.

Secundo, cum dicitur, a Patre procedit, non potest intelligi a Patre ut Pater est for-

maliter, quia tunc Spiritus esset Filius; ergo a Patre ut habet essentiam communem cum Filio: proinde etiam a Filio procedit.

Tertio, ut acute Anselmus lib. de process. Spir. S. ratiocinatur. Si dictum esset: nemo producit Spiritum sanctum, nisi solus Pater; adhuc non excludetur Filius, ut ex simili sententia perspicuum est: nam dicitur Matth. XI. *Nemo novit Filium, nisi Pater* (1); et tamen non excluduntur a cognitione Filii ipse Filius et Spiritus sanctus, qui sunt ejusdem nature. Et ibidem addit: *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*; nec tamen excluditur Pater et Spiritus a cognitione Patris, etiamsi Filius nihil eis revelet. Eodem igitur modo si dictum esset: nemo producit Spiritum sanctum nisi Pater, non excluderetur Filius ab ea productione. Quanto igitur minus excluditur per eam sententiam, Spiritus sanctus a Patre procedit? Hic enim nulla est exclusio, nulla negatio.

Secundum argumentum sumunt Græci ex eo, quod in Concilio Ephesino lectum est Symbolum Nestorianorum, et liber Theodreti contra anathematismos Cyrilli, et in utroque habebatur expresse, Spiritum non procedere a Filio, et tamen Patres Concilii tacuerunt; ergo approbasse videntur.

Respondeo primo, retorquendo argumentum. Nam in eodem Concilio Ephesino, et postea in IV et V Synodo lecta est epistola Cyrilli cum anathematismis ad Nestorium, in qua bis habetur, Spiritum a Filio habere suum esse: et tamen Patres non contradixerunt; ergo approbaverunt. Secundo, Theodretus non solum ait, Spiritum non procedere a Filio, sed etiam non procedere per Filium, quod tamen Græci modo asserunt; ergo si Concilium suo silentio approbavit, Spiritum non procedere a Filio, quod videtur contra nos, approbavit etiam non procedere per Filium, quod est contra ipsos. Dico ultimo: Ephesinum Concilium etsi noluerit tunc expresse disputare de ista questione, quia propter aliud negotium convenerat; tamen satis aperte significasse sententiam suam, cum summo consensu probavit totam Cyrilli doctrinam, et damnavit contrariam Nestorianorum et Theodreti, quod idem fecerunt IV. et V. Synodus: imo etiam VI. et VII., ac breviter omnes Synodi consequentes.

(1) Matth. XI, 27.

Tertium argumentum ex Patribus sumunt, ac primo adducunt Dionysium Areopagitam, qui de div. nom. cap. 2. pag. 1. « Polus, inquit, fons supersubstantialis Deitatis est Pater. » Respondeo: id esse verum, quia Pater non habet aliunde Divinitatem. Unde aliqui comparant Patrem fontem, qui dat et non accipit, Filium flumini, qui accipit et dat, Spiritum sanctum lacui, qui accipit et non derivat alio aquam. Sed quoniam hæc ratione dicitur solus Pater fons, quia non accipit aliunde: tamen alia ratione etiam Filium fontem Epiphanius vocat, heres. 69. sed fontem de fonte, sicut Deum de Deo, quia accipit eandem essentiam, quam habet Pater.

Secundo proferunt Basilium, qui epist. 43. « Nullam, inquit, secundum propriam notionem communionem habet Filius cum Patre; ergo non convenit cum Patre in spiratione, quæ est quædam notio. Præterea, ibidem dicit, propriam notionem Spiritus sancti esse, quod per Filium, et cum Filio cognoscatur, et ex Patre subsistentiam habeat.

Respondeo ad primam: non loqui Basilium de notione qualibet, sed de notione quæ est proprietas, ut patet ex verbis ejus. Vult ego dicere, Filium ratione filiationis, quæ sola est ejus propria notio, non convenire cum Patre, aut Spiritu sancto.

Ad secundum dico: locum esse pro nobis, si bene intelligatur: nam cum dicit, Spiritum sanctum per Filium et cum Filio cognosci, non vult dicere, Spiritum sanctum cognosci ex prædicatione et doctrina Filii: sed cognosci per Filium, et cum Filio, ut relativum per suum correlativum. Nam paulo ante dixerat, Spiritum sanctum ex Filio pendere, et non posse unum sine alio cogitari, quod est proprium relativorum. Præterea disserit eo loco de distinctione personarum intima et æterna, non autem debet sumi distinctio æterna a temporali nostra cognitione; alioqui ante nostram cognitionem non fuissent personæ distinctæ. Quod si relativa sunt Filius et Spiritus sanctus, necesse est, ideo esse relativa, aut quia Filius sit Filius Spiritus sancti, et Spiritus sanctus sit Pater, quod nemo dicit: aut quia Spiritus sanctus spiretur a Filio, et sit Filius spirans seu spirator Spiritus sancti, quod Ecclesia Catholica dicit. Neque obstat quod Basilium dicit, Spiritum ex Patre subsistere;

(1) Joan. XV, 26. — (2) Matth. XIV, 17; Joan. XVI, 13.